

**www.e-rara.ch**

**Theophylacti archiepiscopi Bulgariae, in quatuor evangelia ennarationes,  
denuo recognitae**

**Theophylactus de Achrida**

**[Basel], anno 1525**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: B 82 | G

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-23526>

Caput VII.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



A

C A P V T VII.



E iudicetis, ut ne iudicemini.] Nō reprehendere phibet, sed cōdemnare: nā reprehensio utilis est, condēnatio autē probrosa, & despectus plena. Vel aliter, intellige de eo qui magnis peccatis obnoxius, opprobrat alios & cōdemnat, minus culpabiles, & in his quæ deus iudicaturus est.

Quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini: & qua mensura metimini, metientur uobis. Quid autem uides festucā, quæ est in oculo fratris tui, trabem autē quæ est in oculo tuo non uides? Aut quomodo dices fratri tuo: Sine, eijcā festucam oculi tui: & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eijce primū trabem ex oculo tuo, tunc uidebis, ut eijcias festucā ex oculo fratris tui.] Carpturum alios, oportet immaculatum esse. Nā habens trabem in oculo suo, hoc est magnum lignum, magnum scilicet peccatū, & reprehendens alium, festucā habentē, impudentiorē illū facit. Ostendit autem dominus, quod magnus peccator nō potest bene uidere peccatum fratris. Nam qui habuerit in oculo trabē: quomodo uidere potest aliū mediocriter malum?

Ne detis sanctū canibus, neq; mittatis margaritas uestras ante porcos, ne forte cōculcēt eas pedibus suis, & cōuersi disrumpant uos.] Canes sunt infideles, porci autē porcinam uitam agentes. Mysteria igitur incredulis non sunt prodenda, neq; clari & margaritis similes sermones de Theologia immūdis cōmunicandi. Porci enim cōculcant quæ dicuntur, canes autē conuersi lacerant uos: qđ fecerunt philosophi, quū audirent crucifixū Christū. Dilacerāt autē uos ratiocinando impossibile esse cauillātes.

Petite, & dabitur uobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti, aperietur.] Imperauit uobis in superioribus magna & difficilia. Ostendit igitur hoc loco, quomodo imperata perficiantur, nempe per preces continuas. Petite enim dixit, hoc est semp. Non enim dixit petatis semel. Deinde & exemplo humano confirmat dictum.

B

An quis est ex uobis homo, quem si petierit filius eius panem, lapidem daturus sit illi? aut si piscem petierit, num serpentē addet illi? Erudit hoc loco, qđ oportet uehementer petere, & utilia petere. Sicut enim uos (inquit) uidētes filios uestros utilia petere, panē & piscē, datis oīa quæ petierint: Ita & uos spiritualia quærite, nō carnalia.

Si igitur uos, quū sitis mali, nostris dona bona dare filijs uestris: quāto magis pater uester qui in cœlis, dabit bona petentibus se? ] Malos nominat homines ad deū cōparatos: quoniā natura nostra bona est, utpote à deo cōdita, uoluntate autē mali sumus.

Omnia igitur quæcūq; uolueritis ut faciant uobis homines, & uos facite eis. Hæc enim est lex & propheta.] Breuem ad uirtutem uiam ostendit. Ex nobis enim scimus quid facto opus. Nam si uis beneficia accipere, benefac: si uis diligī ab inimicis, dilige etiā inimicos. Etenim lex dei & ppheta illa dicunt: fermē & naturalis lex præcipit.

Introite per angustā portā, quia lata est porta, & spatiosa uia, quæ ducit ad interitum, & multi sunt qui ingrediuntur per eam.] Angustā portā uocat tentationes uoluntarias, ueluti ieiunium & alia, & præter nostram uoluntatem euenientes, ut uincula, persecutiones. Quemadmodū autem corpulentū, uel sarcinis onustum per angustam ingredi nequit: ita neq; delicatus uel diues: per latam autem tales uadunt. Cæterum ostendens, quod & angustia temporaria sit, & latitudo compendiosa, portam & uiam uocauit. Per afflictionem enim qui affligitur, quasi per portā transit, & delicatus quasi per uiam ingreditur: & quia utraq; temporaria, eligatur quæ melior.

Quid angusta est porta & stricta uia, quæ ducit ad uitā, & pauci sunt inuenientes eam.] Admiratiua dictio est, Quid, Admiratur enim, papæ quā angusta est. Quomodo igitur alibi dicit onus meum leue: propter futuras retributiones.


Attendite à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouiu, sed intrinsecus sunt lupi rapaces, à fructibus eorū cognoscetis eos.] Vafri & impostores hæretici, propterea dicit, attendite, hoc est, caueate. Blandiloquentiā enim prætexunt, & uitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus. Indumentum autē ouis est & mansuetudo, quā usurpant dū adulantur & decipiunt. A fructu autem cognoscuntur, hoc est operum

Tobia. 4.



- operum & uitæ. Nam licet & ad tempus simulent, sed produntur successu temporis.
- ” Nunquid colligunt à spinis uuam, uel à tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit; arbor autem putris, fructus malos facit. ] Spinæ & tribuli sunt hypocritæ. Spinæ, ut occulte carpentes; tribuli, ut uafri & uersatiles. Arbor autem putris, omnis qui tristi & dissoluta uita putrescit.
- ” Nō potest arbor bona fructus malos facere, neq; arbor putris fructus bonos facere. ] Quandiu est putris, non potest; ubi autem conuertitur, potest. Vide enim, quod non dixit, non poterit; sed quatenus est putris, bona non parit.
- ” Omnis arbor non faciens fructum bonum, excinditur, & in ignem mittitur. Vtique ex fructibus agnosceris eos. ] His Iudæos perstringit; nā & Ioannes talia eis dicebat. Arbori autem confert hominem, eo quod potest à sterili peccato in uirtutem inferi.
- ” Non omnis qui dicit mihi, domine domine, intrabit in regnum cœlorū; sed faciens uoluntatem patris mei qui in cœlis est. ] Hoc loco ostendit seipsum dominō, quando quidem dicit, domine domine; nam ita se & deum dicit. Docet autē nos, si fidem absq; operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo, qui facit uoluntatem, non dixit, qui semel fecit, sed qui usque ad mortem facit. Et non dixit uoluntatem meam, ne offenderet auditores, sed patris mei. Omnino autem una eademq; uoluntas est patris & filij, nisi deneger sit filius.
- ” Multi autem dicent mihi in die illa, domine domine: nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes fecimus? Et tunc confitebor eis; Nunquā cognoui uos, discedite à me operari iniquitatis. ] Multi quū prædicare incipiebant, eiciebant dæmonia; & quamuis indigni essent, per nomen tamen Iesu fugabant dæmones. Nam gratia etiam per indignos efficax est, sicut per indignos sacerdotes sanctificamur, & Iudas quoq; signum fecit & filij Sceuæ. Quod autem dicit, nunquā cognoui uos, hoc uult; Neque tunc, quando miracula faciebatis, diligebam uos. Hoc enim loco charitas cognitio dicitur.
- B ” Omnem igitur qui audit sermones meos, & facit eos, assimilabo eum uiro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petrā. ] Absq; deo uirtus perfici nequit, idcirco inquit; assimilabo eum uiro prudenti. Petra autem est Christus, domus autē anima. Quicumq; igitur animā suam ædificabit, operando mandata Christi, illum neq; pluuia, id est diabolus, qui de cœlo decidit; neq; flumina, homines scilicet lædentes, qui ab hac pluuia multiplicantur; neque uenti, hoc est spiritus mali, & in sumā tentationes omnes, si talis fuerit, poterint deijcere.
- ” Et omnis qui audit sermones meos, & non facit eos, assimilabitur uiro stulto, qui scilicet extruxit domū suam super harenam; & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & spirauerunt uenti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, fuitq; ruina eius magna. ] Non dixit assimilabo eū, sed per seipsum assimilabitur stulto; ille qui credit quidē non autem operatur, hic est qui super harenā ædificat, ignauiter operās; propterea & à tentationibus deijcitur, irruit, hoc est impingit in eū tentatio & cadit. Nullus autē infidelis cadit. Illi em̄ omnes humi iacēt, at fidelis stat. Et fit ruina, quia Christianus est, magna.
- ” Et factum est, quum consummasset Iesus sermones illos, obstupuerunt turbæ in doctrina eius. Erat enim docens eos, ut autoritatem habens, & non sicut scribæ. ] Nō principes obstupuerunt; quomodo enim quū odio haberent? sed innocua plebis multitudo. Mirabantur non facundiam uerborum, sed libertatem; maiorem enim quā prophetæ præ se ferebat libertatem. Illi enim dicebant, Hæc dicit dominus; Christus autem ut deus, Ego dico uobis.

## C A P V T V I I I.

- ”  Vum autem descenderet à monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus accessit, & adorauit eum, dicēs; Domine si uis, potes me munda- ] Leprosus enim, utpote ciuiliſ & modestus non ascendit in montem, ut ne doctrinæ obesset; quum igitur descendisset, adorauit magnam